

ueniente osculo, donationis titulo (quod raro accidit d)) fuerit aliquid sponso largita, et ante nuptias hunc vel illam mori contigerit, omni donatione infirmata, ad donatricem sponsam, siue eius successores, donatarum rerum dominium transferatur. (*Imp. Constantinus A., l. 5. C. Th. de sponsal. et l. 16. C. Just. de donat. ante nupt.*)

## 6.

Dotis fructum ad maritum pertinere debere, aequitas suggerit; quum enim ipse onera matrimonii subeat, aequum est, eum etiam fructus percipere. (*Vlpianus, l. 7. pr. D. de iure dot.*)

## 7.

In rebus dotalibus virum praestare oportet tam dolum quam culpam, quia causa sua dotem accipit; sed etiam diligentiam praestabit, quam in suis rebus exhibet. (*Paulus, l. 17. pr. eod.*)

---

d) Aut fallimur, aut verba vncis inclusa profecta sunt a librario ad hunc locum graviter ingemiscente, quod animum subiret sponsae aut vxoris nimium parcae recordatio. Igitur tanquam glossema eiicienda videntur. Certe hac vna ratione Imperator ab iniuriae sexui sequiori illatae reprehensione liberari poterit, a qua caeteroquin nec Jureconsulti veteres prorsus sunt defendendi. Cf. *Vlpianus, l. 32. D. de don. int. v. et vx. verb. „contra sexus naturam.“*